



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Panegyricvs, Die Natali Academiae Theodorianae  
Paderbornensis, Reuerendissimo, atq[ue] Illustrissimo  
Principi, ac Domino, Theodoro, Episcopo Ecclesiae  
Paderbornensis, S. R. I. Principi, Fvndatori Eivs ...**

**Horrion, Johann**

**Paderbornæ, 1616**

Capvt IV. Olim quoque & inferiores, & sublimiores doctrinae Paderbornae  
floruerunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14243**

armis positis, abiecta impietate, exturbata barbaria, pax, religio, humanitas, & humanitatis parentes bonæ litteræ cohererentur?

## C A P V T IV.

Olim quoque & inferiores, & sublimiores doctrinæ Paderbornæ flourerunt.

**V**IDE, Princeps Illustrissime, quæ mens fuerit maiorum tuorum, grauiſſimorum huius Urbis Antistitum, quibus non mediocri studio fuit, in ea omnium artium studia nutrire, quibus salutaris fides propagatur, atque defenditur. Intelligebant enim VWestphalis vsuuenisse, quod alicubi confirmat Augustin⁹: *[Ep. 20. ad Bonif.]* Multis, inquit, profuit (quod experimentis probauimus, & probamus) prius timore vel dolore cogi, vt postea possint doceri. Igitur quo in loco, terrore armorum fortissimi Imperatoris compulsa VWestphalia, Christiana sacra suscepit, in eo prouidendum sibi putarunt, ne vnquam deessent magistri exercitationesque doctrinarum. Quæ tametsi nullo fere tempore omninò jacuerunt, fuit tamen cum eo ardore celebrarentur, vt, præter hodiernum Academiæ nomen, nihil admodum desiderares. Quæ enim tempestate, vt alios præteream, Meinvercus ille Paderbornæ nobilissimum decus, ad clauum huius Ecclesiæ sedebat, non modò optimi Latinitatis auctores Sallustius, Virgilius, Stadius explicabantur, verum etiam florentissimi adolescentes, Rhetoricis, Dialecticis, Arithmeticis, Geometricis, Phisicis, omni deniq; genere liberalis eru-

H

lis eru-

lis eruditionis informabantur. Eius vestigijs cum alij deinceps Antistites, tum præcipuè is qui duodecimo loco huic Vrbi præfedit, Imadus, ipsius Meinverci è sorore nepos, institit, qui seuerissima auunculi disciplina, à pauxillo puero, ad omnem sanctimoniam, sapientiamque laudem institutus, non commisit, vt tanto viri sanctissimi labore accensa rerum pulcherrimarum studia, suo tempore restinguerentur. Atq; vtinam vetustatis iniuria, atque crebra huius Urbis, & primariae Ecclesiae deflagrationes paullo plura nobis huius tam præclaræ voluntatis reliqua monumenta fecissent. esset profectò vnde liquidò disceremus sapientissimas tuas, Princeps Optime, curas & cogitationes, cum præstantissimis maiorum tuorum consilijs ita congruere, vt non tam eorum virtutem æmulando expressisse, quam ipsos tanto interuallo viuos in te, spirantesque retulisse videaris. Nunc autem, tuarum quidem virtutum formam integram, & vndequaque emicantem splendorem intuemur: illorum autem quæ fuerit species, velut è reliquis nobilium statuarum frustis coniectura assequimur. Cuiusmodi sunt versus, quos hic ipse Imadus, de quo nobis est sermo, inscripsit vestibulo voluminis peruetusti, in quo sunt Philonis Iudæi nonnulla monumenta. Id volumen è miserabili naufragio ornatissimæ bibliothecæ, quam ille bonis artibus adiuuandis extruxerat, tuo Princeps Illustrissime munere, vnà cum alijs præstantissimis libris, in Collegio nostro visitur. Versus porrò Imadi sunt hi:

Ecclesiae CHRISTI, sanctæque DEI Genetrici,

Offert hunc librum deuotus Præsul Imadus.

Quibus verbis ostendit sapiens Antistes, non sibi modò curæ fuisse, vt perpetuò Religionem honestis artibus copularet, sed etiam cum immortalium ingeniorum partus ad locupletandam his talibus Ecclesiam perquireret, id perinde

DEO

D E O gratum existimasse, atque si aras, & templa poneret. Qui ita de codicibus, mutisque membranis sentiebat, quid is se facere credebat, cum ipsos adolescentium animos, quorum paullo post innocentia, atque doctrina Ecclesiae dignitas niteretur, optimis disciplinis imbueret? Si enim qui rudes hominum animos C H R I S T O conciliant, ij quoddam sacrificij genus, ut est apud Apostolum, D E O faciunt, [Rom. 15. v. 16] nihilne operantur, qui ipsos plurimorum magistros mox futuros omnia ea litteratura expoliendos curant, qua sit opus ad tam augustum, & humano generi salutare munus pro dignitate sustinendum? Equidem nihil dubitem negare ullam hecatomben D E O perinde decoram, gratamque esse potuisse, atque ornatissimus ille nobilium adolescentium coetus, qui illis temporibus in Paderbornensi Ecclesia, cum omnium praestantium artium scientiam percipissent, alij ad alias Ecclesias regendas vocati, illustribus suam quisque promeritis ornauerunt.

## C A P V T V.

Viri sanctitate, & doctrina illustres,  
qui è Paderbornensi Gymnasio  
prodierunt.

I N ijs fuisse legimus Vnyvanum Meinverci, atque [Adam. Bremen. c. 86] Imadi propinquum, qui è Choro Paderbornensi, ut loquitur Adamus, assumptus, atque à S. Henrico Archiepiscopus Bremensis renunciatus, satis ostendit, praecleara se quaedam Paderbornae sapientiae, & virtutis rudimenta posuisse. Hic est enim ille Vnyvanus, qui Bernardum Saxoniae ducem res novas aduersus Henricum sanctissimum Caesarem molientem, omnes Saxoniae Ecclesias